

1887  
versantur : ita turpem consuetudinem meretricum odio habent ,  
detestantur ac fugiunt quotquot morum honestas æque ac salus  
existimationis suæ curæ cordique est, ac sedulo cavent, ne illi con-  
tagio quasi quodam inficiantur, hæc vero labe quadam aspersa pe-  
riclitetur. Sed è contrario, ut vulturibus, corvis idque genus  
carnivoris avibus, aliis cadavera in delitiis sunt, eoque certatim  
advolant, ubi illorum copiam odoratu præseferunt : pari quo-  
que ratione meretrices non mediocri voluptate impuros, suæque  
fortis ignarus & maxime incautos Amasios perfundunt, sui que  
desiderium simulato fastidio augent. Ex insepultis porro cada-  
veribus magna sæpe numero morborum seges pullulare solet, qui  
deinde longe lateque vagantur, & magnas pariter ac acerbas e-  
dunt strages : quibus etiam incommodis moti Sacratissimi Prin-  
cipes noluerunt ædes sacras humanis cadaveribus esse concessas ;  
ne quid damni pestilentibus sepulcorum corporum exhalationi-  
bus corporibus viventium crearetur. Haud aliter, ubi meretri-  
ces foventur, non omnia modo implentur libidinibus ; cum scor-  
tatio non sistat in uno homine, sed totam civitatem pervadat :  
sed varia insuper vitiorum genera, velut ab igne scintillæ, dis-  
seminantur, ex quibus tandem magnum nascitur incendium,  
quod non unam vel alteram domum absumit, sed per omnes  
urbis partes grassatur. Quibus malis si cui medelam adhibere  
animus est, facere debet, quod solent, qui cadavera ad sepulturas  
matutinis horis deferunt ; quia eo tempore minus est periculi ab  
halitibus, quos eadaver meridiano tempore tepefactum graviores  
& copiosiores emittit. Nempe semel admixtæ meretrices cito &  
opportuno tempore sunt ejiciendæ ; vel saltem licentiam earum  
quam severissimis sanctionibus cohibenda est, ne libidinis istud  
malum per longas moras novas subinde vires acquirat & invale-  
scat. Quod remedium ex parte suam fecerunt Romanorum Le-  
gislatores : ceu id ex Dissertatione nostra de QVÆSTU ME-  
RETRICIO non obscure apparebit. Eam vero ut tu B.L. fa-  
ventibus oculis usurpare velis, etiam atque etiam contendo.

CAP.